









13

26

1713, 19

22

J. N. J.

DISSERTATIO JURIDICA

DE

CITATIONE AD PRO-  
CESSUM NON NECESSARIA

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

WILHELMO HENRICO,

DVCE SAXON. JUL. CLIV. MONT. ANGAR. WESTPH.  
ET RELIQUA

P 481

Consensu Illustris Ordinis Juridici,

SUB PRÆSIDIO

VIRI ILLUSTRIS ATQUE EXCELLENTISSIMI

DN. CHRISTIANI WILDVOGELII,

JCTI CONSUMMATISSIMI,

SERENISSIMI DUCIS SAXO-ISENACENSIS CONSILIARII  
STATUS INTIMI, CURIÆ PROVINCIALIS ET SCABINAT-  
TUS ASSESSORIS, NEC NON FACULTATIS JURIDI-  
CÆ SENIORIS, JURISPUBL. ITEMQUE COD. ET  
NOV. PROFESSORIS ORDINARIJ,

Domini Patroni, Hospitis atque studiorum Promotoris aeter-  
num devenerandi

Publice ventilandam proponit

JOHANNES CHRISTOPHORUS Meckelburg/

Jur. Cand. Regiom. Prussus.

Ad d. Aprilis Anno Christ. M D CC XIII.

NOTHA

JENÆ, Typis Mullerianis.





Inclytæ Reipublicæ Regiomontanæ Palæopolitanæ  
*PATRIBUS VENERANDIS*

V I R O

*GENEROSISSIMO, MAGNIFICO ATQUE CONSULTISSIMO*

**DN. FRIDERICO a Derschau /**

S. R. M. SUPREMI IN BORUSSIA APPELLATIONUM JUDI-  
CII UT ET AULÆ CONSILIARIO ATQUE CON-  
SULI GRAVISSIMO

NEC NON

V I R I S

*PRÆNOBILISSIMIS EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMIS AT-  
QUE CONSULTISSIMIS, JUSTITIA, CONSILIO AC RERUM CI-  
VILIUM PRUDENTIA CLARISSIMIS*

**DN. GEORGIO Dittmer /** Pro-Conful. meritiff.

**DN. JOHANNI Langerfeldt /**

**DN. CHRISTOPHORO Wock /**

**DN. HENRICO Schönfeldt /** U. J. D. & P. P.

**DN. GEORGIO Seßel /**

**DN. FRIDERICO Liedert /**

**DN. CHRISTOPHORO Meyer /**

**DN. CHRISTOPHORO Gasseburg /**

*SENATORIBUS ET CONSILLARIIS SPECTATISSIMIS*

UT ET

V I R O

*NOBILISSIMO AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO*

**DN. HENRICO Bartsch /** Secretario fidelissimo

*PATRONIS ET FAUTORIBUS OMNI HONORIS AC OB-  
SERVANTIE CULTU ETATEM COLENDIS*

Dissertationem hanc ea qua decet mentis submissione in  
sui studiorumq; suorum commendationem cum prolixo  
omnis felicitatis atque prosperitatis voto offert

A U T O R





PRÆFATIO.

**N**E illotis, ut dicitur, manibus, disputationem præsentem aggrediar, lubet nonnullas præfationis loco exponere rationes, quibus impulsus hancce conscripserim dissertationem. Annus fere præterlapsus, quod in Academia Albertina sub præsidio Viri Excellentissimi Domini Johannis *Stein*/ J. U. D. & Prof. Publ. Ord. summi, quod Borusæ est, Tribunalis & Consistorii Sambiensis Consilarii, Patroni mei æternum devenerandi, theses quasdam ad Lauterbachii Compendium Juris ex Lib. XI. π. depromptas publico exposuerim examini. Multum commodi & utilitatis ex isto labore hausi, ut etiam firmiter mihi proponerem, exercitium illud continuare & aliud illi addere specimen statuerem. Verum commoda, quæ se obtulit, occasio, Salanam hanc visitandi Academi-



am, propositum meum distulit, non sustulit. Divina namque favente gratia factum, ut & hospitio & victu & bibliotheca Viri Illustris atque Excellentissimi Domini Christiani VVildvogelii J Cti & Antecessoris, Serenissimi Ducis Saxo-Isenacensis Consilarii Status Intimi, Curia Provincialis & Scabinatus Assessoris, itemque Facult. Jurid. Senioris, Evergetæ atque Patroni mei ad urnas colendi, me frui contigerit. Tum cogitavi materiam aliquam in forma disputationis exhibere, ut hoc ipso simul vitæ hic transactæ redderem rationem: maxime quoque huic rei addidit stimulum *Parens* honoratissimus; sed & Ipse Vir Illustris meis annuebat desideris & conatibus, variaque disputationis argumenta suppeditabat. Inter alia præsens eligere thema placuit, quod non utile modo est sed & in praxi necessarium, de *Citatione* scilicet *ad processum non necessaria*, quod sequentibus includere cancellis conabimur. Tradituri enim sumus I. Cap. generalia ad explicationem rubricæ facientia. II. necessitatem Citationis evolvemus III. casus quosdam exceptos proponemus, in quibus ea necessaria non est. Faxit Divinum Numen ut cedat feliciter.

CAPUT I.



SS (5) SS  
CAPUT I.

*Continens ea quæ circa rubricam  
notanda erant.*

SUMMARIA.

§. I. Utilitas evolutionis vocabulorum ostenditur §. II. explicatur vocabulum citationis ejusque synonymum adducitur. §. III. dicitur aliam fuisse rationem in justificatione de jure veteri, insimul tempora notantur quibus processus romanus mutatus. §. IV. Quid tempore Justiniani obtinuit quidve imperator introduxit, docetur. §. V. Citatio describitur & explicatur. §. VI. dividitur citatio in realem & verbalem, realis describitur & quando locum habeat notatur. §. VII. agitur de citatione verbali, quæ rursus dividitur in publicam & privatam. §. VIII. divisio citationis in dilatoriam & peremptoriam adducitur. §. IX. Notatio vocis processus observatur. §. X. describitur processus. §. XI. dicitur quod processus alius sit civilis alius criminalis. §. XII. processus civilis dispescitur in ordinarium & extraordinarium. §. XIII. Quid sit processus extraordinarius explicatur. §. XIV. Quenam cause possint summariter tractari, queritur? §. XV. continentur excusatio.

§. I.

**N**ON sine ratione e re esse monet Ulpianus in l. i. pr. π. de rebus cred. priusquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de

A 3

signifi-



significatione ipsius tituli præmittere. Cum enim, dicente Aristotele, plura sint negotia quam rerum vocabula, fieri sane aliter nequit, quam ut iis non discussis, maxima appellationum oriatur confusio. Id ipsum testatur Leo Imperator *Nov. 42. in pr.* quando ita loquitur: *Que in verbis residet obscuritas, multum quod tractatur involvere videtur, quippe que tanquam expensa quedam nubes, tum intelligendi vim animo auferat, tum a recta rerum administratione avertat.* Si ergo inconueniens est, ut dicitur in *l. i. pr. π. de O. J.* omisissis initiis atque origine non repetita, protinus materiam interpretationis tractare, absque dubio rem suscipiemus utilissimam, si quædam de homonymia & synonymia vocabulorum in rubrica positorum dixerimus, sicque foedam nominum & rerum evitemus confusionem. *l. 5. C. de legitima tut.*

§. II.

Duo inprimis autem occurrunt nobis explicanda vocabula, *Citatio & Processus.* Vocabulum citationis quod attinet, nemini potest non esse notissimum, illud descendere ex verbo *citare*, hocque rursus esse verbum aliquod primitivum, idem significans quod *ciere, vocare, ruffen / fordern.* Hoc in sensu usurpatum invenitur apud Ovid. *Epist. 7. v. 101.*

*Hinc ego me sensi noto quater ore citari.*

Aliquando idem denotat quod nominare, sic dicimus nominare autorem, pro citare autorem. Porro citare idem est, quod incitare, v. g. citare equum *das Pferd anspornen /* veluti: *Pompejus equo citato Larissam contendit,* scribit Cæsar in bello civili lib. 3. cap.



3. cap. 96. Ultimo vocabulum citare in judiciis usurpatur, quando vel edicto vel præconis voce quis a Magistratu aut Judice citatur ad causam dicendam. Conf. Fabri *lexicon. voc. citare.* quæ significatio hujus est loci, ac cum illa locutione, aliquem in jus vocare, convenit, a nobis quoque in sequentibus synonymice usurpabitur, imprimis cum hodie hæc ab illa quoad effectum amplius non differat, sed promiscue usurpetur. Huberus *ad Tit. de in jus voc. num. 5.* Struv. *Exerc. 5. ib. 7.*

§. III.

Equidem longe alia de jure veteri erat ratio vocationis in jus, quippe quæ a privato propria fiebat auctoritate: interim sequentibus temporibus mutationem recepit hic mos, atq; statutū, ne aliter, quam consensu judicis, per apparitores expediretur citatio. Ut autem eo melius hac de re informemur, jubabit tempora notasse, quibus processus romanus mutatus fuerit. Primum est a LL. XII. Tabularum usque ad Constantinum & Theodosium Magnum quousque jus civile *Ælianum* & formularium duravit, circa quod nusquam occurrit vocationis per executorem faciendæ mentio. Huber. *ad Tit. de in jus voc. num. 1.* sed fuit actus partis, qui actionem aliquam instituere volebat, actoris scilicet, qui in jus vocabat reum. his verbis: *veni in jus*, quem, si venire nollit, invitum etiam obtorto collo trahere poterat. vid. fragm. LL. XII. *Tab. de judiciis n. 4.* nisi protinus satisfaceret de judicio sisti, seu quod certo tempore se judicio siturus esset. *tot. tit. n. in jus voc. ut eant vel satis*

ant



ant cautum dent. Vid. Strykii *Dissert. de Processu juris Rom. antiquo c. 3. num. 5. 6.* Equidem non desunt, qui negant, talem olim apud Romanos vocationem coactivam viguisse, ob gravitatem nimirum sapientiamque Romanorum, quibus talis procedendi modus plane non conveniret, inter quos est Bachov. in *Comm. ad §. 12. J. de Action.* Nos tamen hac de re non sinunt dubitare (1) fragmenta XII. Tab. (2) Hahnii ad *W. Tit. de in jus voc. num. 2.* qui variis id comprobant rationibus (3) id etiam *ll. 18. & 21. π. de in jus voc.* confirmant. Quamvis etiam temperatum fuisse morem hunc, scribat Huberus ad *Tit. J. de poen. tem litig. num. 5.* inter honestos & homines gravitatem professos. Conf. Gellius *lib. 13. cap. 13.*

§. IV.

Alterum tempus est usque ad Justinianum, quo licet violenta ista actoris ipsius vocatio abrogata & per apparitores facienda esset, tamen excluso iudicis, solius actoris iussu fieri poterat. Vid. Schilter *Exerc. ad π. 7. tb. 4.* qui eo quoque refert occasionem enatarum collusionum actoris & apparitoris, quarum vestigia reperiuntur in *Nov. 112. cap. 2. Nov. 96. pr.* Tertium denique tempus est Justiniani, qui prater sublatas actionum formulas, alia quoque circa processum jure novellarum mutavit, collusiones sustulit atque sancivit, ut vocatio in jus praevio iudicis consensu per apparitores fieret. Vid. *Nov. 53. 82. 96. & 112.* Gudelinus de *Jure novissimo lib. 4. cap. 5.* ut sic jure novissimo in jus vocatio non amplius actoris, sed iudicis sit actus, & eadem quae citatio. Pluribus haec prosecutus Dn. Schilterus *cit. loc.*

§. V.





Est itaque in jus vocatio seu citatio hodie nihil aliud quam legitima rei ad iudicem, ipsius jussu & autoritate, facta vocatio, vel ut Paulus J. C. in *l. 1. π. de in jus voc.* eam describit, in jus vocare, est juris experiundi causa vocare: Dicitur legitima vocatio, hoc est, quæ facta secundum ordinem & modum legibus atque ordinationibus iudiciorum præscriptum, ut omnia contineat requisita, quæ, ut citatio subsistere possit, ad eam requiruntur, de quibus vid. Stryck. in *Introd. ad Praxin. for. cap. 4. §. 13.* Porro dicitur: ad iudicem, sc. competentem, nam iudici extra territorium jus dicenti impune non pareretur. *l. fin. π. de Jurisd.* Competens vero Iudex dicitur respectu rei conventi. Actor enim regulariter forum rei sequi tenetur *l. 2. C. de Jurisd. omnium jud.* Quot modis vero reus forum consequatur, alibi docetur. Conf. *DD. ad Tit. π. de Judiciis.* Denique citatio fieri debet jussu & autoritate iudicis. Hac in re, uti ex præcedentibus jam notum esse potest, omnino differt hodierna in jus vocatio a veteri, reoque necessariam injungit comparitionem ne videatur iudicem contempneré, sicque pœnam contumaciæ incurrat.

§. VI.

A definitione citationis, quam præcedenti paragrapho exposuimus, progredimur ad divisiones, sufficiet vero nobis primarias attigisse: quarum prima hæc est, quod alia sit *realis*, alia *verbalis*: Realem illam voco, quæ apprehensione personæ absolvitur,

B

cum



cum nimirum quis gravius aliquod delictum commi-  
 sit, quod poenam corporis afflictivam meretur. Cum  
 enim nullum iudicium aut processus ab executione  
 fit inchoandus, nec medium detinendi gravius esse  
 debeat ipsa poena, consequens esse videtur, citatio-  
 nem hancce realem, ob leviusculum aliquod crimen,  
 quodve legitimis destitutum indiciis ac probationi-  
 bus, concedendam non esse. Communiter tamen hic  
 Doctores excipere solent casum, si reus pauper sit &  
 de fuga suspectus, quia alias iudicium redderetur elu-  
 sorium. Conf. Pr. Land-R. Lib. 1. Tit. 14. art. 5. §. 1.  
 verbis. Nachdem es sich oft begiebet, daß ein Richter  
 einen für sich citiren und laden lästet daß er in ei-  
 gener Person erscheinen muß / so soll der Richter  
 mit dergleichen citation, qua habet speciem executionis  
 am ersten nicht leichtlich anfahren / es geschehe denn  
 solches aus beweglichen Ursachen / als unter an-  
 dern in Ehe- und Gewissens-Sachen. Item Da über  
 den Beklagten gnugsam erwiesen / daß er von dem  
 Gerichte flüchtig werden wollte / und hat sonderlich  
 solches Raum u. Statt in Criminal- und Peinlichen  
 Hals-Sachen / in denen der Richter mit dieser wohl  
 am ersten mag anfahrē / und den Uebelthäter obbesag-  
 ter massen einziehen oder greiffen lassen / damit er  
 nicht gewarnet und ihm also zu weichen Ursach ge-  
 geben werde. Habet ergo citatio realis locum in  
 causa criminali & delicto graviore. vid. Carpz. in Pra-  
 xi Crim. quest. CXI. num. 5. Sed quæri posset: annon &  
 in civilibus causis obtinere possit? Quod quidem re-  
 gulariter negandum, arg. l. i. C. de Executione rei jud.

&amp;



& quod nemo sibi ipsi jus dicere debeat. *pr. f. de A. fion. l. 13. π. quod metus causa.* Quodsi vero reus fugam arripuerit, potest eum actor sequi & apprehendere. *l. 10. §. 16. π. quæ in fraudem credit.* in tantum ut & die feriato hoc ipsi permissum sit, non quidem ut litigetur, sed ut ad iudicem ducatur, cogniturum, utrum reus iudicio sisti cavere debeat, quemadmodum ex Bartolo notat Gothofredus *ad all. l. 10. §. 16. π. eod. lit. q.* Item statuit *Pr. Land-R. cit. loc. §. 2. verb.* Also mag auch ein Glaubiger seinen Schuldener der flüchtigen Fuß gefezet oder sehen möchte selbst greiffen und in Verhaft nehmen *ic.* Aliam exceptionem invenies in *l. 8. C. quomodo & quando iudex.*

§. VII.

Realem citationem excipit verbalis, quæ vel viva apparitoris fit voce, vel scriptura interveniente. Distingunt hanc interpretes, in eam, quæ vel publice fit, & eam, quæ privatim peragitur. Publicam illam dicunt, quæ per præconem vel per edictum in trium dominorum territorii publice affixum absolvitur, & locum habet (1) in causis criminalibus (2) in causis matrimonialibus vel ubi alius contradictor est incertus (3) in concursu Creditorum (4) si debitor sit vagabundus ac latitet. Conf. *Carpz. Jurispr. Confissor. Lib. 3. Tit. 5. def. 62. num. 12. 13.* imo toties locum invenit, quoties privata finem non sortitur. vid. *Clem. 1. de iudiciis.* Lauterb. *in Comp. jur. ad Tit. de in jus voc. pag. 30.* *Pr. Land-R. Lib. 1. Tit. 14. art. 3.* Privata est quæ vel in faciem citandi fit, vel ipso absen-



re ad domum, aut ædium valvas affigitur, vel dome-  
ficis insinuat. Lauterb. *cit. loc. Pr. Land-Recht*  
*d. l. art. 2.*

§. VIII.

Altera divisio est, quod citatio sit vel *dilatatoria* vel  
*peremptoria*. Dilatoria est, qua quis simpliciter, hoc est  
absq; comparitionis comminatione ad iudicem vocatur,  
& ulterior dilatio non denegatur Stryck. *in Introd*  
*ad Prax. for. cap. 4. §. 6.* si tamen tertia vice citatus  
nihilominus emanat, pro contumace habetur. *l. 53.*  
*§. 1. π. de re judicata.* Peremptoria est, quæ denega-  
ta ulteriori dilatione, necessariam mandat compari-  
tionem, inde appellata, quod perimat atque dirimat  
disceputationem, nec ultra patiat aduersarium ter-  
giversari. *l. 70. π. de iudiciis.* Unde autem cognosca-  
tur, sitne citatio dilatoria, an peremptoria? quæ-  
stionis esse solet. Communiter peremptoriam ex eo  
dijudicant, quando citationi talis inserta clausula:  
Iudicem citato non comparente, nihilominus cogni-  
turum & pronunciatum quod jus & iustitia postu-  
lat. Annon & voce *peremptorie* opus? Resp. Neg.  
*per l. 71. π. de iudiciis l. 2. C. quomodo & quando ju-*  
*dex.* Conf. Berlich. *part. 1. concl. 10. num. 10.* Quan-  
tum tempus utraque continere debeat, tam de iure  
civili, quam Prutenico est definitum: Nimirum sim-  
plex continet spatium 10. dierum, peremptoria vero  
30. dierum, adeoque triplicatum simplicis citationis  
tempus. Vid. *l. 69. 72. π. de iudiciis.* De iure Prur.  
terminus est 6. septimanarum & 3. dierum *Lib. 1. Tit. 14.*  
*art. 1. §. 5.* Sunt & aliæ adhuc citationis divisiones, sc.  
quod



quod alia *mediata*, alia *immediata*. Vid. Carpz. in *Process.*  
*Tit. 7. art. 3. Pr. Land-R. Lib. 1. Tit. 14. art. 3. §. 5.*  
 Alia *generalis*, alia *specialis*. *Pr. Land-R. d. l. art. 4.*  
 Verum nobis summo digito hæc attigisse sufficit, le-  
 ctorem remittentes ad Commentarios *Tit. de in jus*  
*voc.* aliosque *Practicos*, *Tit. de Citatione* ex quibus  
 simul ea quæ circa citationem alias necessaria sunt  
 observanda, addiscent.

## §. IX.

Jam pauca quædam de altero rubricæ dissertatio-  
 nis vocabulo : *Processus* scilicet, prænotanda erunt.  
 Dicendum namque est, & hoc verbum non uno sem-  
 per capi modo, sed varios habere significatus, vari-  
 asque acceptiones. Etenim vox *Processus*, quæ origi-  
 nem suam debet præpositioni *pro*, & verbo *cedere*,  
 nihil aliud est, quam progredi, *fortgehen* / unde  
 dicimus procedere in causa, *in der Sachen fortge-*  
*hen / fortfahren*. Communiter nomine judicii in-  
 digitur. Dicitur etiam *ordo judiciarius*, licet illa si-  
 gnificatio a priori revera differat, cum ipse *processus*  
 constituat formam judicii. Interim parum nocu-  
 menti exinde metuendum esse, asserit Carpzovius,  
 docetque, majus subesse periculum, si non exacte  
 inter varias judicii seu *processus* species distinguatur,  
 sed una cum altera pessime confundatur, unde no-  
 bis incumbet accurate *processus* divisiones attendere,  
 quod, postquam *Processus* definitionem paululum  
 perspexerimus, etiam observabitur.

## §. X.

Describitur autem *Processus*, quod sit modus le-

B 3

giti-



gitimus, in iudicio circa causam in id deductam, a iudice & partibus, confusionis vitandæ causa, observandus. Genus posuimus in eo, quod sit modus legitimus, hoc est talis ordo procedendi, qui vel a legibus præscriptus, vel per stylum Curia receptus, vid. *l. 4. n. de sent. & interloc.* Deinde dicitur in *iudicio observandus*, notum namque, quod nemini permissum sit, sibi ipsi extra iudicium jus dicere, sed si quis habeat actionem, jure, h. e. coram Magistratu experiatur *pr. f. de Action.* idque ob pœnas non leves prohibitum, quas vide in *l. 7. n. unde vi. & l. 13. n. quod metus causa.* Subjectum a quo iste ordo sit observandus, est iudex atque partes litigantes; iste quidem vel propterea illum servare debet, ne sententia ejus effectu destituatur. Hi vero ideo, ut confusio omnis evitetur, & iudex eo felicius sententia sua litem dirimere possit, quemadmodum hoc indicavimus additis verbis, *vitandæ confusionis causa.* Obiter hic quæri posset: annon aliquando confuse ac tumultuarie institutus Processus toleretur? Explicandum autem nobis est, qualem tumultuario processu intelligamus. Sane, non extraordinarium, in quo juris ordine solenni non observato, proceditur; hic enim a regulis juris, quoad substantialia, minime deflectit, sed omnia ea, ut infra dicitur, quæ juris naturæ sunt, requisita habet; sed iste nobis processus tumultuarius vel irregularis dicitur, qui nec ab actione certa incipit, nec omnes processus ac iudicii alias necessarios articulos recipit, sed in certis quibusdam capitibus consistit, & vel obiter tractatus, iudicis



cis cognitioni & sententiæ submititur. Talis quidem procedendi modus regulariter licitus non est; attamen consuetudine magis & æquitate probatus, sicuti non semel ejusmodi processum absque peculiari libello ad Curiam Lipsiensem supremam esse delatum ab eaque receptum testatur Carpzov. in *Processu Tit. 1. art. 1. n. 72.* Sed non nisi ex gravissima causa, idque rarissime, Idem *cit. loc. num. 75.* Unde est quod *Tit. 1. art. 6.* novam plane judicii distinctionem proponat, in *regulari & irregulari*, quam tamen uberius examinare nostri non est instituti, sed potius ad præcipuas processus divisiones tradendas nos conferimus.

§. XL.

Summa ergo Processus divisio est, quod sit vel *civilis* vel *criminalis*. Processus civilis dicitur is, quo agitur ad interesse privatum, propriumque commodum, vel actione ex contractu, vel ex delicto. *l. 9. §. 5. π. de publ. & vestig.* Criminalis vero est, quo agitur ad interesse publicum, ad pœnam corpus afflictivam, vel pecuniariam fisco applicandam. Vid. *Pr. Land. N. Lib. 6. Tit. 1. art. 1. §. 2.* Uti vero Processus civilis dividitur in *ordinarium & extraordinarium*, seu *summarium*, de quibus in seqq. ita etiam criminalis processus alius est *ordinarius*, alius *extraordinarius*, quamvis alias differat ab ordinario civili, ut docet Carpz. *Tit. 1. art. 5. num. 23. seqq.* Ordinarium, quatenus inquisitorio opponitur, ita describit Carpzov. *cit. loc. num. 12.* quando in causis criminalibus adversus reum delinquentem propter commissum delictum proceditur per viam accusationis, secundum



dum ordinem ac formam iudicii. Conf. Eiusd. *Praxis Crim. part. 3. qu. 104.* Extraordinarius seu inquisitorius illi est, quando nullo existente accusatore iudex per viam inquisitionis summarie absque longo litis sufflamine procedit, & ex officio adversus delinquentem inquirat, eique poenam promeritam imponit. *c. l. num. 49. Pr. Land. N. Lib. 6. Tit. 1. art. 1. §. 3.* Approbatus est hic processus inquisitorius, non solum jure divino, *Exod. 2. v. 11. seqq. Rom. 13. Proverb. 20. v. 8. & 24. v. 11.* sed etiam civili, *l. 13. π. de officio praesid. l. 1. C. de Custodia reorum. & Jure. Prut. per lib. 6. Tit. 1. art. 1. seqq.* Quibus vero in causis locum habere possit, ea de re vid. *Carpz. in Praxi Crim part. 3. quest. 107. n. 30.*

§. XII.

Sequitur divisio, quam paragrapho praecedenti innuimus, qua Processus civilis est vel *ordinarius*, vel *summarius*, seu *extraordinarius*, quorum hic usu vocis saltem, non re ipsa a summario differt. *Stryck. in U. M. π. ad Tit. de Judiciis. §. 3.* Ordinarium, quatenus nec executivo nec inquisitorio, sed summario opponitur, illum voco, in quo solenni iudiciorum ordine plene observato, in causarum cognitione proceditur, praecedente libello, citatione, litis contestatione, receptione probationum, conclusione & sententia. *Clem. saepe. de U. S. Carpzov. Tit. 1. art. 1. num. 5.* Hic quari solet, quibus in causis iste ordo procedendi observari debeat? Et communis est responso, omnem causam regulariter modo ordinario & plenaria cognitione esse dirimendam. *Zan- ger.*



ger. de Except. cap. 1. part. 1. num. 58. nisi aliud partes voluerint: eo ipso enim partes & sibi & publico profunt: sibi, quod actor facilius ac minoribus litium expensis suum consequatur, nec reus multis excusationibus atque inani lite gravetur; publico, quod vult, ut quanto citius lites finiantur ac abbrevientur.

§. XIII.

Processus extraordinarius hic est, in quo de simplici & plano summarie & levato velo proceditur. Carpzov. d. l. num. 17. & all. clem. sape. seu, in quo sepositis licet juris positivi solennitatibus, ea nihilominus attenduntur, quæ juris gentium sunt & circa processum ratione naturali nituntur. Quæ autem ad substantialia juris gentium in hoc processu necessaria sint, tradunt Carpzov. num. 29. seqq. ibique all. Doctores. Multum quoque in hoc juris articulo iudicis arbitrio tribuendum esse, nemo forsitan negabit. Id tamen quilibet cognoscet, plane rejiciendum esse morem illum Westphalis olim usitatissimum, qui reos primum ad turcam condemnarunt, & postea de illorum delictis & nocentia cognoverunt, quod iudicium vocabatur occultum, alias Vermium. Conf. Boehmer. in *Introduct. ad jus π. Tit. de iudiciis. §. 2.* & Vitriarius in *Jure publ. Lib. 4. Tit. 4.* Quarit hic Carpzovius, utrum causam indubitato summariam, actor ordinario processu ventilare possit? ad quam responderet affirmando; verum negativam ut veriolem ac juri conformiorem potius defendimus, cum Reipublicæ intersit, ut litium sit



exitus & pruritus litigandi præscindatur, nec pactis & conventionibus privatorum, jus publicum immutari potest. Equidem Carpzovius suam sententiam inde probare vult, quod in favorem actoris introductum sit, causas ordinarias summariter tractare, ergo illi quoque licitum erit huic favori renunciare, & causas summarias ordinario processu finire; Verū quis infirmitatem hujus conversionis non videt, & quam maxime legem illam hanc pati limitationem, nisi favor tertii concurrat. Non enim alteri per alterum iniuriam conditio est inferenda, *l. 74. ff. de R. J.* inferretur vero eo ipso, non solum publico, quippe quod & privato arbitrio immutaretur, contra *l. penult. ff. de pactis.* & finem legibus propositam, non obtineret, si actor pro lubitu, contra *l. 13. ff. de iudicis.* litem protrahere veller; verum etiam privatorum bono damnum gravissimum crearetur. Cum enim magis e re sit actoris, summariter tractare causam, quam litem in processu ordinario ventilare, dicente Carpzov. *num. 46.* sane contra proprium laboraret commodum, & malitioso animo reo duriorum conditionem obruderet, atque sic malitiis hominum indulgeretur, quod tamen permissum non est. *l. 38. ff. de R. J.* Leges quas Carpz. pro sua sententia allegat, adhibita illa limitatione facile resolvi poterunt.

## §. XIV.

Quenam autem causa summariter sint tractanda? questionis esse solet. In genere dicimus, quo unaquæque gravior est causa, eo minus extra ordinem

ac



ac de plano absolvi potest. *arg. l. 6. n. de Accus. l. 71. n. de R. J. Conf. Anton. Matthæi de jud. Disp. 1. tb. 17.* E contrario, quanto quæque levior est causa, tanto facilius summariter exerceri potest. Huber. *ad Tit. n. de judiciis num. 33.* Imprimis vero extraordinario processu absolvi possunt, causæ utilitatem publicam, favorem singularum personarum, vel ipsius causæ respicientes. Vid. *Clem. ult. de judiciis. Conf. Pr. Land-R. Lib. 1. Tit. 12. §. 1.* Facile quoque judicatum est, quid sentiendum sit de hac quæstione, utrum in causis summariis testis injuratus sit admittendus, nec ne? si prænotaverimus, universale id esse, testi injurato non credendum. Vid. *Illustris Domini Præsidis Diss. de Testium inhabilium salvatione. tb. 45. & quod formam probationis per testes faciendæ, constituat juramentum. l. 9. C. de testibus. Conf. Zanger. de Except. cap. 2. part. 1. num. 31. seqq. Carpzov. cit. loc. num. 40. 42. 43. Idem dicit Pr. Land-R. Lib. 1. Tit. 35. art. 6. §. 1. & 5.*

§. XV.

Plures addere judicii divisiones jam supersedemus, cum pro instituto nostro allatæ sufficere possint: id saltem addimus, tot dari judiciorum species, quot dantur causæ, quæ in judicium deducuntur. Quoties enim agitur vel de ipso dominio, vel saltem de possessione illius, toties judicium vel processus alius est *petitorius*, alius *possessorius*: quoties causa est vel feudalis vel militaris, vel ecclesiastica, toties judicium aliud *feudale*, aliud *militare*, aliud *ecclesiasticum*, & sic consequenter.



## CAPUT II.

*Evincens necessitatem citationis.*

## SUMMARIA.

§. I. Traditur connexio cum cap. preced. §. II. Ostenditur necessariam esse citationem, quia est principium iudicii. §. III. Quia continet defensionem. §. IV. Ut reus premeditatus in iudicium venire possit, & quoniam leges eam requirunt. §. V. Indigitatur, toties opus esse citatione quoties alteri damnum accidere potest. §. VI. Dicitur quod citationem non solum processus ordinarius sed extraordinarius requirat, imo quilibet actus judicialis. §. VII. Cavetur, non tantum reum principalem sed etiam reliquos litis consortes, citandos esse. §. VIII. Asseritur, citationem partis alterius requiri ad videndum jurare testes & quod ipse testes citandi sint. §. IX. Innuitur, quod bonis cedens citare debeat suos creditores. §. X. Docetur, quod creditor debitorem suum arresto reali constringendum simul citare debeat. §. XI. Exigitur citatio ad videndum distrahi pignus. §. XII. Habetur, quod convocandi sint illi, qui jus eligendi habent, quoties Ecclesia de ministro aliquo prospiciendum. §. XIII. Asseritur, quod convocandi sint Electores, quoties Imperator eligendus. §. XIV. Quod tenore unionis Electoralis, convocandi sint Electores quoties salus J. R. G. exigit.

§. I.



## §. I.

**P**rogredimur ad Caput secundum, postquam ea, quæ circa inscriptionem dissertationis prænotanda erant, capite primo perspeximus. Diximus vero in præfatione, quod velimus hoc capite necessitatem citationis evolvere, atque ostendere, quam necessaria sit ad processum citatio, ut citra nullitatis vitium ea omitti ac negligi nequeat. Operæ itaque pretium erit, paulo accuratius & singulatim rationes inspicere, quæ actorem ad id adstringunt, ut reum in iudicium vocare teneatur.

## §. II.

Quod ut rite procedat, dicimus, citationem ad processum ideo requiri (1) quod sit principium iudicii. Si enim id perfectum est, quod ex omnibus suis partibus constat, cujusvis vero rei potissima pars sit principium. *l. 1. π. de J. O.* sponte sua fluit, processum illum, qui absque citatione peragitur, esse mancum atque imperfectum; illum e contrario bonum ac rite institutum, qui suo principio h. e. citatione, constat. Quod si vero quis negaret, in jus vocationem esse principium iudicii, is evolvar *§. 3. J. de pœna tem. litig.* ubi Imperator sequentem in modum loquitur: *Omniū autem actionū instituendarum principium ab ea parte proficiscitur, quæ Prætor edicit, de in jus vocando.* Nec aliter Jure Prut. sancitum reperiet, quando Serenissimus *Lib. 1. Tit. 14. art. 1. §. 1.* his utitur verbis: *Es ist die Citation ein Fundament und Grund eines recht-*  
C 3
mäßi-



*mäßigen Proceßes.* Equidem objici posset, liti-  
 contestationem dici principium judicii. *l. 15. n. rem  
 ratam haberi.* Verum responderetur, sciendum esse,  
 quod, quando vocationem in jus principium proces-  
 sus vel judicii dicimus, hoc sumatur in sensu latiori.  
 §. 3. *J. d. t.* quando vero ex *d. l.* probatur, quod prin-  
 cipium judicii incipiat a liti contestatione, illud ac-  
 cipitur in sensu stricto, quatenus illa comprehendit,  
 quæ coram judice peraguntur. Vid. Huber. *ad Tit. J. de  
 pœna tem. litig. n. 5.* Brevibus: citatio instituenda actio-  
 nis; liti contestatio, liti exordium appellatur. Obrecht.  
*de Liti contestatione cap. 1. num. 8.* Bachöv. *ad Trentl.  
 Vol. 1. Disput. 12. th. 2. lit. A.* Patet ergo, quod si-  
 euti totum absque parte esse non potest, ita nullus  
 processus sine citatione atque fundamento subsiste-  
 re possit, sed ita necessaria sit, ut citra vitium nul-  
 litatis omitti nequeat. Vid. Rutg. Ruland. *de Comissa-  
 riis lib. 2. cap. 3. num. 1. part. 1.* Imo, cum susti-  
 neat processum & judicium, illud penitus in nihi-  
 lum abiret, si ea intermitteretur.

§. III.

(2) Necessariam esse citationem, exinde proba-  
 ri potest: scilicet certi juris est, quod nulla lis ter-  
 minari possit, absque prævia judicis cognitione,  
 ac parte altera non audita. *l. 47. n. de re judicata.*  
 Ut vero audiatur, ipsi denunciandum est, quod ad-  
 versus eum actio quædam intentetur, ad quam ut  
 respondeat seque defendat, utique citandus est.  
 Indefensum enim quenquam judicari, nec naturalis,  
 nec civilis ratio permittit. Lancell. *in J. Juris Can.*

*Tit.*



*Tit. de in jus voc. §. 7.* Es ist die *Citation*, inquit Jus Prut. *antea cit. loc.* eines Natürl. Rechtens und ein *Fundament* und Grundt eines rechtmäßigen *Processus* / denn die beschleußt und hält in sich die *Beschützung* und *Defension*, ohne welche niemand's einig *Haab* und *Gut* aberkannt werden soll. Imo *tantus est defensionis favor*, ut nec *diabolo dene-gari*, nec *statuto abrogari* possit, quam nec *sum-mus Princeps* pro sua potestatis plenitudine reo adimere potest. *Carpzov. in Praxi Crim. quest. 28. num. 7.* Id quod exinde patet, quod se defendere, sit *juris naturalis*, ea vero quæ *juris naturalis* sunt, *regimini civili* non subjacent. §. 11. *J. de J. N. G. C. C.*

§. IV.

(3) Opus est ad processum citatione, ut reus paratus & præmeditatus in iudicium venire & deliberare possit, utrum cedere, an vero contendere velit. Unde est, quod dici solet, præsentem in iudicio, vel ad certam causam citatum ad aliam causam respondere, non esse obstrictum. *l. 2. §. 3. π. de iudicis.* *Mevius Part. 4. Dec. 281. num. 5.* quia non sufficit sola & nuda præsentia citati, sed ut paratus accedat, necesse est. *B. Dn. Stryck. Introd. ad Prax. for. cap. 4. §. 10.* *Schnobel. disp. ad π. 11. ib. 15. (4)* *Thesis* nostra probatur ex eo, quod si *citatio omissa* fuerit, cæteri actus, imo iudicium ipsum, reddatur nullum: cum enim *leges* illam requirant, ac *cuius actori* injungant, ut faciat citari reum, sequitur, quod *omissio* ejus sit contra *leges*, adeoque



que ipso jure nullum, quod geritur. *l. 5. C. de LL. quod etiam expresse jure Prut. dispositum Lib. 1. Tit. 14. art. 1. §. 3.* So aber einer dem andern ohn vorgehende Gerichtliche Citation, Vorheischung und Ladung ist berührter massen einigen Process oder Handel fürnehme / was er darauf ausbrechte und erlangte / daß soll alles krafftlos nichtig und nullum, auch demjenigen / dem solches zu wieder erlangt wäre / unschädlich seyn.

## §. V.

Cum ergo evictum dedimus, citationem ad processum omnino esse necessariam, sequitur ut dispiciamus, an semper & quando ea opus sit? In genere dicendum est, toties eam requiri, quoties alteri damnum vel præjudicium accidere potest, si ea negligatur. vid. Gothofredus *ad l. 39. π. de adopt. lit. γ.* In illa lege Divus Marcus Eutychemio confirmationem adoptionis petenti, ita rescripsit: Quod desideras, an impetrare debeas, existimabunt judices, *adhibitis etiam his qui contradicent, i. e. qui lederentur confirmatione adoptionis.* Conf. *l. 29. §. fin. in fin. π. de minoribus.* Quod ampliare solent Doctores, licet causa sit certa & notoria. Citatio enim supponit defensionem, jam autem & in notoriis res dubia, & hinc defensio superesse potest. Vid. Hahn. *ad W. Tit. de in jus vos. num. 13.* & Huber. *cod. num. 3.* qui hoc exemplo ipsius DEI Adamum & Evam in horto citantis comprobat.

## §. VI.



In specie vero sciendum, citationem præcise requiri, non solum in processu ordinario, sed etiam in summario, cum in hoc quoque negligenda vel omittenda non sint, quæ juris gentium & naturali ratione nituntur, uti supra ex *Clem. 2. de V. S.* ostensum. Vid. Muller. *ad Struv. Exerc. 9. th. 66. lit. i.* Et cum citatio alia fiat initio iudicii suscipiendi causa, alia ad alios actus in iudicio expediendos. Struv. *Exerc. 5. th. 12.* patet, illam desiderari, non modo in primo termino, verum etiam in sequentibus, imo ad omnes actus processus. Equidem contrarium nonnulli statuunt, putantes, non tantam esse subsequen-  
tium citationum necessitatem, forte ex eo, quod semel citatus invigilare debeat causæ suæ. vid. Hillig. *ad Donell. Lib. 23. cap. 2. lit. B. ibique all. Doctores.* Prout etiam in Camera Imperiali & Tribunali Wismariensi observari ex Brunnem. *de Process. civ. cap. 3. num. 9.* tradit Stryck. *ad Lauterb. Tit. de in jus voc. verb. totam causam.* Rectius tamen illos sentire dicit Ziegler. *ad Lancell. lib. 3. tit. 5. ad verba sine quibus, qui defendunt, semper opus esse partis vocatione, quotiescunque actus expediendus causæ cognitionem requirit, & absenti præiudicio esse potest. Conf. Mynsing. Cent. 2. obs. 91. num. 1. Qualis actus est pronuntiatio sententiæ, ita ut non valeat statutum, disponens de validitate sententiæ, quæ sine prævia citatione lata est. Ziegler. cit. loc. Gail. lib. 1. obs. 109. num. 1. in tantum ut nec tum sustineatur sententia, si in favorem non citati lata sit.*

D

Zoe-



Zoëlius ad π. Tit. de in jus voc. num 21. De Jure Prut. quoque sententia in partium aut Advocatorum presentia ferenda est, sive illa fuerit interlocutoria, sive definitiva. Pr. Land-Recht Lib. 1. Tit. 42. §. 7. Obtinet hoc non solum quories res inter privatos agitur, sed placuit id quoque Electoribus, qui in unione sua electorali expressis verbis statuerunt, ut ad publicationem sententiæ citentur illi, qui causas suas dijudicationi iudicium submiserunt. art. 4. verb. Die beyden Partheyen von uns oder unsere treffliche Râthe ein Urtheil auszusprechen zu hören / erfordern. Conf. Excell. Dominus Praesides in Dissert. de Unione Elect. Cap. 3. §. 29.

§. VII.

Cum etiam sæpius contingat, ut plures sint litis consortes, qui una in iudicio actione pulsantur, necesse quoque est, ut eo in casu singulis separatim & in specie citatio insinuetur. Berlich. part. 1. concl. 10. num. 44. Antonius Faber. in Cod. Lib. 2. Tit. 2. def. 8. Jus Prut. ita disponit: Es soll der Richter auf Anhalten des Klägers in einer jeden Sachen den Beklagten / nebst allen andern die es angehet und die sich eines Interesses Schadens oder Nutzens befahren oder zu getrösten haben / rechtlichen citiren und laden lassen. Denn so eine Person / die in Sachen Interesse und Theil hat / nicht geladen / ist die Handlung so wohl auch der ganze Processus so wieder ihn fürgenommen / unkräftig und nichtig. Lib. 2. Tit. 14. art. 6. §. 11. Id quod etiam ratione



riatione non desinitur. Nam cum citati non compa-  
rentes multa contumaciæ plestantur, de omnium  
contumacia primum constare debet; pœna enim  
eum manet, qui deliquit, at vero quomodo omnes  
dici poterunt deliquisse, aut contumaces fuisse, si  
non illis omnibus in specie citatio fuerit insinua-  
ta? Carpov. num. 59. Quam rationem Chur-Säch-  
sische Process-Ordnung his verbis comprobatur. Und  
sollen diejenigen / denen die Citation ist berührter  
massen nicht zukommen / im Fall ihres Aussen-  
bleibens vor ungehorsam nicht geachtet / noch in  
Contumaciam wieder sie erkannt werden. Tit. 4. in  
fin. pr. Conf. Illustr. atque Excell. Domini Præsidis  
Dissert. de Consortibus litis §. 32.

§. VIII.

Quod si alicui probatio per juramentum imposi-  
ta, citatio adversæ partis ad videndum jurare, tan-  
ta quoque necessitatis est, ut si petitio ejus omissa  
fuerit in oblatione, juramentum pro deserto habe-  
atur Chur-Sächsische Process-Ordnung Tit. 18. &  
Decis. Elector. 18. ibi: Wenn einer die vorgeschrie-  
bene formam impetranda citationis nicht in acht  
nimmt / er sich an der Endes Leistung versäumet  
habe. Vid. Diss. illustr. Domini Præsidis de relatione  
juramenti cap. 6. sb. 7. in fin. ubi dicta Responso Fa-  
cult. Lipsi. confirmat. Idem obtinet Jure Prut. Lib.  
1. Tit. 40. art. 6. §. 1. & 2. Nec minus in probatio-  
ne quæ per testes absolvitur, opus, ut testis fuerit  
citatus, ne videatur se ingerere, & sponte depone-  
re testimonium, quales regulariter sunt suspecti



*arg. l. 25. n. de procurat. Mynsinger. Cent. 4. obf. 3.*  
 Imo non sufficit citari testes, nisi pars adversa quoque simul citata fuerit, ad videndum produci ac jurare testes. *cap. 2. de testibus.* Hac de re jure Prut. ita sancitum: Darauf sollen die Zeugen/ wo die in demselben Gericht / durch den Gerichts-Diener nach eines ieden Orts Gebrauch/ oder aber andern Orten gefessen wären / durch Schrifften zu kundschafften *civret/* auch dem Gegentheil darzu verfundt werden / sie die Zeugen auf den bestimmten Gerichts-Tag sehen fürzustellen/ in Eyd auffzunchmen *ic. Pr. Land-Recht Lib. 1. Tit. 35. art. 1. §. 2.*

§. IX.

Porro necessaria quoque est citatio eo in casu, cum quis ære alieno ita obzarus est, ut aliter sibi quam Cessione bonorum suorum consulere non possit. Vocatur hoc beneficium alias flebile, calamitosum & miserabile subsidium. *l. 7. & 8. C. de Cessione bonorum,* cum omnibus bonis spoliatur debitorem. Hopp. *ad §. fin. J. de Action.* atque describitur per actum, quo debitor ære alieno sine dolo malo obrutus, omnia sua bona Creditoribus sponte relinquit, ut ipsis exinde quantum fieri possit, satisfiat, ipseque a carcere liberetur. *l. 1. C. de cessione bon.* Lauterb. *in Comp. n. eod.* Ad illum actum ergo jura requirunt a cedente, ut judicem ordinarium adeat, libellum supplicem offerat atque petat, ut bonis cedere sibi permittatur, additis nominibus creditorum & consignatione aris alieni. Quo facto, creditores designati

ti



citandi sunt, ut si quas exceptiones contra cessionem habeant, eas proponere possint, uti apparet ex Jure Prut. *Lib. 1. Tit. 24. art. 15. §. 6.*

## §. X.

Cum etiam moribus receptum sit, ut creditores possint sistere & detinere suos debitores peregrinos aut bona ipsorum, quo illos in foro suo convenire & ad solutionem debiti compellere, citra molestiam persequendi lites in foro debitoris, queant, statutum, ut, si quis creditorum jure hocce uti velit, simul ac primum arrestum impetravit, illudque ab una quaterdena ad alteram ter renovavit, tertia vice libellum arrestatorium offerat, specificationem crediti declarato modo probandi addat, ac debitorem citari petat; quam formam si neglexerit, arrestum nullum atque inutile erit. Conf. Carpzov. *part. 1. concl. 29. def. 13. & Lib. 4. Resp. 35. num. 13. 14.* Unde etiam arrestum describitur, quod sit detentio personæ aut rerum debitoris, facta per creditorem, autoritate Magistratus, cum in jus vocatione conjuncta, quo scilicet debitor rem suam agi sciat, & in tempore juri suo defendendo adesse queat. Vid. Huber. *ad Tit. de in jus voc. Tit. de Arrestis §. 5.* Hæc, quæ dicta, juri Prut. conveniunt *Lib. 1. Tit. 51. art. 1. §. 9.*

## §. XI.

Denique neminem fugit, quod sæpius in securitatem debiti pignora constituentur, quo eo securius creditor esse possit, ratione crediti. Quod si ergo accidat, ut debitor in mora solvendi constituatur, creditor vero diutius pignori incumbere nolit, eo

D 3

in



in casu jura huic concedunt, ut pignus vendere atque distrahere possit. *l. 7. 9. & 14. de distractione pign.* Ita tamen, ut si justa & legitima pacta super distractione pignorum conventa adsint, illa observet, sin secus, volunt, ut debitori denunciaret, quo solvat & pignus redimat, secus fore, ut pignus strahatur, quemadmodum tradit Lauterb. *in Comp. x. ad Tit. de distractione pignorum* ad quem nos remittimus, ea enim quæ circa distractionem porro observanda veniunt, hic repetere jam superfedemus. Id inde saltim notamus, quod si debitor ita debito modo compellatus, pignus luere nolit, creditor coram judice competente comparere, & citationem adversus debitorem suum sibi decerni, petere debeat, quo is in judicio compareat, & pignora vendi vel creditori adjudicari videat, aut causas, quare id fieri non debeat, in jure deducat, ceu patet ex Jure Prut. *Lib. 4. Tit. 5. art. 9. §. 1. & 2. verb.* Und wieder den säumigen Schuldener Citation und Ladung mit kurz angeetzten Termin ihm zuerkennen bitten zu sehen und zu hören die Pfand ihm einzuräumen oder zu verkauffen; oder aber redliche Ursachen warum solches nicht geschehen soll / vorzubringen. Plures ex Jure civili addere casus, opus non erit, quivis enim ex allatis videt citationem semper, nisi casibus exceptis, de quibus mox dicetur, omnimoda esse necessitatis.

## §. XII.

Anquam vero caput hoc finiamus, quædam ex jure canonico & publico adjicere, inutile non erit.

Sci-



Scilicet notum est, quam necessaria sit evocatio ac presentia illorum, qui personam aliquam ad praelaturam vel dignitatem ecclesiasticam vocandi jus habent, quoties viduatæ providendum est ecclesiæ. Edocemur hac de re a Lancellotto in suis Institutionibus juris canonici *Lib. 1. Tit. 6. §. 2.* nec non *Cap. 28. in fin. cap. 35. de Electione* ex quibus testibus luculenter patet, quod cuncti, qui eligendi jus habent, legitime citari debeant, ut electioni intersint, ita, ut si in unius persona citatio fuerit omissa, talis omisio irritam reddat electionem: *sepe enim, ut verbis illis utar, rescriptum est, magis hac in re unius obesse contemptum, quam multorum contradictionem.*

## §. XIII.

Ex jure publico pariter constat, convocationem Electorum ad eligendum Imperatorem maximæ esse necessitatis, ut multa etiam dissidia ex omissione orta fuerint. Confer. Buxtorff. *ad A. B. Cap. 1. §. 18. lit. e.* Quod autem rite convocandi sint Electores, ipsissima verba A. B. *cit. loc.* docent, quando ajunt: *Quoties & quando deinceps sacrum vacare contingat imperium, & tunc Moguntinus Archi-Episcopus potestatem habebit, sicut potestatem habuisse dignoscitur ab antiquo, ceteros Principes ante dictos, suos in dicta electione consortes, literatorie convocandi.* Nimirum ut primum Archiepiscopus Moguntinus de morte Imperatoris certior factus, vel a defuncti liberis, aut agnatis, vel a Cancellario aulæ Cæsareæ, vel alio modo, intra mensem continuum a die notitiæ  
nume-



numerandum, convocare primum debet omnes Electores, sigillatim, literis patentibus & majori sigillo signatis, ut a die intimationis factæ, intra tres menses continuos, Francofurti conveniant, ad eligendum Imperatorem. Vitriarius in *J. J. Publ. Lib. 2. Tit. 6. §. 5.* Sed quid si nullus Archi-Episcopus adsit, anne tunc capitulum convocabit? Resp. neg. quoniam jus istud convocandi Electores, Moguntino non ut Archiepiscopo, sed tanquam Archi-Principi tribuitur, unde illo mortuo, ea quæ ipsi incumbabant, a Trevirensi tanquam ordinæ proximo expedienda sunt. Conf. *Unio Elect. art. 15.* & Magnificus Dominus Struv. in *Syntagm. Juris Publ. Diss. 7. §. 10.*  
 §. XIV.

Similiter quoque, quoties salus Imperii R. G. exigit, aut hæresis, schisma, vel aliud quid, per quod tranquillitas Ecclesiæ turbari potest, metuitur, secundum unionem Electoralem, citandi aut convocandi sunt Electores, ab Archi-Episcopo Moguntino, quemadmodum *art. 7.* dispositum, his verbis:  
 Wäre es auch daß einiger Unglaub / Schisma oder andere widerwärtige Empörung oder Sammlung wider die Röm. Käyserl. Majestät / oder andere Obrigkeit in der Christenheit entstände / so sollen und wollen wir uns darum zusammen fügen / mit unsern geistlichen und weltlichen Räten auf einen Tag gen Wäynz / Franckfurt / Weilnhausen oder Fulda / den dann ein Erz-Bischoff zu Wäynz der zu Zeiten ist / an der Statt eine darum bescheiden soll. Idque ideo, ut eo melius huic rei consulatur  
 at-



¶ (33) ¶  
atque contra hæreses aliasque turbas remedia quaerantur.

CAPUT III.

*Exhibens Casus exceptos in quibus citatione opus non est.*

SUMMARIA.

- §. I. Traditur connexio cum precedente capite, & quod citatio non requiratur, quoties partes illi renunciarunt  
§. II. Alius affertur casus, quo citatio necessaria non est.  
§. III. Dicitur in reconventionem opus non esse citationem.  
§. IV. Docetur, citationem non requiri, quoties alicui nullum jus competit. §. V. Afferitur locum non habere citationem, si periculum sit in mora. §. VI. Traduntur limitationes §. 7. & 8. cap. preced. §. VII. Afferitur limitatio. §. 6. cap. præc. §. VIII. & IX. Alii recensentur casus, in quibus citatione opus non est, & additur conclusio.

§. I.

**P**ostquam itaq; ea, quæ tam ad generalia hujus disputationis requirebantur, cap. 1. quam quæ ad probandam necessitatem citationis faciebant, cap. 2. perlustraverimus, ordo jubet, ut pedem promoveamus ad casus exceptos, in quibus sc. citatione

E

opus



opus non est, aut qui citationem non ita necessario  
 requirunt, ut rotus processus vel actus aliquis propter  
 omissionem ejus vitietur, aut plane nullus reddatur.  
 Initio ergo dicimus, necessariam non esse citatio-  
 nem, quoties partes expressa vel tacita convention-  
 e illi renunciarunt. e. g. Si Sempronius adversarium su-  
 um Cajum in jure inventum, apud Praesidem convenerit,  
 conventus Cajus quoque ultro responderit, atque  
 omisissis exceptionibus litem contestatus fuerit,  
 eo in casu valere processum, licet solennis citatio non  
 praecesserit, unanimis est Doctorum, jure Prut. quo-  
 que approbata sententia; Cajus enim eo ipso, cum  
 Sempronio ad libellum responderet, renunciasse cen-  
 setur citationi atque juri suo, quod ipsi facere est per-  
 missum. *l. 41. π. de minoribus l. 46. π. de Pactis. Conf.*  
*Mevius part. 4. dec. 282. Anton. Matthæi de judiciis*  
*Disp. 6. ib. 34. Pr. Land-Recht Lib. 1. Tit. 14. art. 6.*  
*§. 4.* Da aber die Parthey von sich selbst und wil-  
 liglich erscheinen wollte / und auf des Gegentheils  
 Anbringen alsbald Antwort geben / so ist die *Cita-*  
*tion* und Ladung ferner nicht von nöthen / dieweil  
 durch des freywillig erscheinenden Theils Gegen-  
 wärtigkeit das Ende oder *Effect* der Ladung erfolgt/  
 nemlich die würcliche Erscheinung und *Compa-*  
*ritio* selbst / sintemahl die Ladung eine Ursach der  
 Erscheinung / und die Erscheinung der Ladung  
*Effect* und Würckung ist. Scilicet, quæsierat LLator  
 in præcedentibus, utrum is, qui non citatus,  
 interim in judicio præsens, respondere tenetur, an  
 ve-



vero de novo adhuc citandus sit? atque dixerat, quod quidem non citari debeat ad comparandum, at vero si opposuerit, se imparatum accessisse, ideoque petierit dilationem, hanc ipsi indulgendam esse, cum nemo ex improvise, vel in continenti ad respondendum cogi possit. Quod si autem sprete exceptione quis statim responderit, hoc valiturum, nec præterea nova citatione opus esse, uti ex allatis apparet.

§. II.

Sic etiam citationem necessariam non esse, certum est, quando partes jam sunt in iudicio præsentis, propter causam aliquam, ex qua alia actio resultat. Casum talem tradit Huberus: Dixit Titius sibi jus competere in prædium Mevii, Mevius hoc pati nolens, illum ex l. diffamari §. C. de ingenuis manum. ad iudicem vocat, ut actionem suam instituat, suum præensum jus doceat, aut patiatur sibi perpetuum imponi silentium. Titius comparens profitetur se acturum, atque offert libellum. Hunc Mevius admittere tenetur, & fit reus absque nova citatione, prout iudicatum refert Idem ad Tit. π. de injus voc. num. 3. Jure Prut. etiam nova citatione hoc in casu opus non esse, colligere licet ex Lib. 1. Tit. 11. §. 4. verb. *Da er aber (sc. diffamator) sein Recht & sic jus suum principale wider den diffamatum deduciren und vollführen wollte; Alsdenn werden beide Theil / expiranti tamen penitus diffamationis*





judicio, mit ihrem Einbringen als *Exceptionibus, Re-  
plicis, Probationibus* und andern billig gehöret/ und  
sollen demnach ferner nach Inhalt dieses unse-  
res *Processus* bis zum Ende verfahren.

§. III.

Quoties porro accidit, ut reus contra ipsum  
actorem actionem habeat, illamque reconvenien-  
do instituerit, citatione opus non est, sed potest,  
secundum nonnullorum locorum jura & ordinatio-  
nes, simultaneo processu reconventionem absolve-  
re, ex quo is, qui actor est, simul quoque reus  
constituitur, eundemque judicem, licet alias in-  
competentem, agnoscere tenetur, quemadmodum  
ea de re dispositum in jure Prut. *Libr. 1. Tit. 28.*  
§. 1. Wenn der Beklagte vermenynte daß er  
rechtmäßige Gegenklag und Forderung zu dem  
Kläger hätte/ die mag und soll er vor oder gleich  
nach der *Litis Contestation* und Kriegeres = Befesti-  
gung zuvor und ehe zu fernerer Handlung ge-  
schritten worden / fürbringen. Et paulo post.  
Und da solches also geschieht / so ist der Kläger  
„darauf zu antworten und zu vollnfahren schul-  
„dig / unangesehen ob er gleich dazu nicht son-  
„derlich *civret* oder geladen ist worden / dann  
durch diese Mittel einer Gegen = Klag oder *Re-  
convention* muß der Kläger einen Richter leiden  
und annehmen / der sonst sein Richter von or-  
dent-



§ (37) §

dentliches Rechtens und Gewalts wegen nicht seyn  
möchte.

§. IV.

Diximus supra *cap. 2. §. 5.* toties necessariam esse citationem, quoties alteri damnum accidere possit. Hinc e contrario sepuitur, citatione opus non esse, quando nullum jus alicui, etiam presenti, competit. Ubicunque enim actus fieri potest, non obstante partis contradictione, citatio non requiritur, cum id, quod aliquo invito potest fieri, possit etiam ipso absente peragi. *l. 5. junct. l. seq. π. de tutor. & curat. dat. ab his.* Conf. Muller. *ad Struv. Exerc. 5. tb. 10. lit. d.* Stryckius *in Introd. ad Prax. for. cap. 4. §. 7. in fin.*

§. V.

Sic etiam, quando supra dictum fuit, quod citatio non solum in processu ordinario, sed etiam in sumuario requiratur, vid. *Cap. 2. §. 6.* id limitationem recipit, si periculum sit in mora. Quoties enim periculum in mora adest, toties a regulis juris communis receditur. vid. *l. 1. §. fin. l. 2. π. de feriis & dilat. l. 5. §. 11. π. de N. O.* N. unde recte eo in casu & in sumuariis, adversus etiam non citatos & non auditos procedi posse, ex Mevio *part. 3. decis. 164.* tradit Muller. *ad Struv.*



*cit. loc. lit. i.* Idem asserit Mevius de summarissimo *part. 2. dec. 237.* Quod ipsum eo magis procedit, ubi notorie constat, adversarium nullum jus in ea possessione habere, nec defensionem ipsi competere vel in potentia. Postius *de possessorio summarissimo seu de Manuten. Observ. 79. num. 12. seqq.* Imo sicut in civilibus, ut dictum, summarissimo possessorio, si ex mora scandala orientur, citatio omitti potest, ita in omnibus aliis causis, ubi in mora periculum est, omissa citatione non procedere solum potest, sed & debet iudex. vid. Lynck. *Resp. 23. num. 8.*

§. VIII.

Ex eodem fundamento & illa regula, quae dixerat supra *cap. 2. §. 7.* quod plures litis confortes speciatim citandi sint, limitatur. Confer. *Preuss. Land = Recht Lib. 1. Tit. 14. art. 6. §. 2. num. 1.* Jedoch sind etliche Fälle darinn vorgedachte Regel nicht allezeit kan observiret und gehalten werden; Als da der Verzug und mora Schaden bringen möchte / da ist dem Richter zugelassen auch in Abwesen des andern Theils Interessenten / so nicht geladen und citiret / in der Sachen zu verfahren. Aliam limitationem illius regulae vid. apud *Mynsinger. Cent. 1. Observ. 9.* Quo pertinet & illa de qua *§. 8. cap. 2.* quod ad videndum jurare testes, pars adversa citari debeat, si periculum sit, testem mori-  
tu-



§ 39 §  
turum esse, quippe tunc etiam, non citata parte  
atera, ad perpetuam rei memoriam testis exa-  
minari potest. *Pr. Land-Recht cit. loc. num. 3.*  
Und dann so man besorgen muß ein Gezeug möch-  
te versterben / den mag man auch *uncitirt* des  
Segentheils *ad perpetuam rei memoriam* wohl *exa-*  
*miniren* und verhören.

§. VII.

Quando etiam supra §. 6. asseruimus, quod  
ad audiendam sententiam partes citari debeant, nec  
valere eam, licet in favorem rei lata sit, illud quo-  
que limitatur, nisi sententia in causa criminali, in  
favorem rei absentis lata fuerit. *Mynsinger. Cent. 2.*  
*Obs. 92.* unde etiam restringenda ampliatio, quam  
ibidem ex *Zoesio* adiecimus, ad causas civiles, non  
criminales. Idem vult *Pr. Land-Recht cit. loc. num.*  
*2.* Also auch wenn in *Criminal- und Peinlichen*  
*Sachen* ein Urtheil dem Abwesenden zu gut erge-  
het / ist solches Urtheil in sein des Abwesenden *Fa-*  
*vor*, ob er gleich nicht dazu *citirt* und geladen wä-  
re / kräftig.

§. VIII.

Notavimus quoque precedenti capite §. 3. testem  
ad testimonium dicendum citandum esse; sed nec  
hoc sine exceptione procedit, nam si testes reali-  
ter producti & praesentes sint, citatione opus non est,  
sed sufficit, quod a parte sint requisiti & ab eadem simul  
producti. Neque enim citatio productione reali-  
ter facta de ordine iudicii est, nec praecise requiritur,  
sed



sed pars ipsa producens & adducens testes dicitur  
loco esse citationis. Conf. Illust. Domini Præsid. *Diff.*  
*de testium inhabilitate salvatione. §. 40.*

## §. IX.

Plures adhuc recenseri possent casus, in quibus ne-  
cessaria non est citatio, quippe quæ nec tunc re-  
quiritur, ubi per eam res non foret amplius inte-  
gra, neque tunc, quando iudex potest procedere ex  
officio. Lyncker. *Resp. 23. n. 8.* item quando nil novi  
attentatur. Conf. insuper Mynsinger. *Cent. 2. Obs. 91.*  
*Scaccia de judiciis lib. 1. cap. 88.* Verum filum hic  
abrumpere cogimur. Deo interim summas persol-  
ventes grates, quod gratia sua nobis adfiterit, hunc-  
que laborem ad finem exoptatum perducere beni-  
gnissime concesserit. Ipsius porro directioni vitam  
nostram studia & labores humillima prece commen-  
damus. Tu quoque L. B. æqui bonique consules  
ea quæ pro virium tenuitate hic attulimus: quod  
si meliora protuleris, de eo & Tibi &  
nobis gratulabimur.

TANTUM!



ULB Halle

3

006 548 385



VD 18











23  
26  
1713, 19  
22

J. N. J.

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
**CITATIONE AD PRO-  
CESSUM NON NECESSARIA**

QUAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

P 481

**WILHELMO HENRICO,**  
DVCE SAXON. JUL. CLIV. MONT. ANGAR. WESTPH.  
ET RELIQUA

Consensu Illustris Ordinis Juridici,

SUB PRÆSIDIO

VIRI ILLUSTRIS ATQUE EXCELLENTISSIMI

**DN. CHRISTIANI WILDVOGELII,**

JCTI CONSUMMATISSIMI,  
SERENISSIMI DUCIS SAXO-ISENACENSIS CONSILIARII  
STATUS INTIMI, CURIÆ PROVINCIALIS ET SCABINA-  
TUS ASSESSORIS, NEC NON FACULTATIS JURIDI-  
CÆ SENIORIS, JURISPUBL. ITEMQUE COD. ET  
NOV. PROFESSORIS ORDINARIJ,

*Domini Patroni, Hospitis atque studiorum Promotoris aeter-  
num devenerandi*

Publice ventilandam proponit

**JOHANNES CHRISTOPHORUS Meckelburg/**

Jur. Cand. Regiom. Pruffus.

Ad d. Aprilis Anno Christ. M D CC XIII.

JENÆ, Typis Mullerianis.

